



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De  
Imitatione Christi Libri Qvatvor**

**Thomas <von Kempen>**

**Antverpiæ, 1617**

Cap. LII. Quòd homo non reputet se consolatione dignum, sed magis  
verberibus reum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](#)

## C A P. LII.

*Quod homo non reputet se consolacione dignum, sed magis verberibus reum.*

1 **D**O M I N E, non sum dignus consolatione tua, nec aliqua spirituali visitatione: & ideo iuste mecum agis, quando me inopem & desolatum relinquis. Si enim ad instar maris lachrymas fundere possem, adhuc consolatione tua dignus non essem. Vnde nihil dignus sum, quam flagellari & puniri: quia grauiter & s̄apē te offendi, & in multis valde deliqui. Ergo vera pensata ratione, nec minima sum dignus consolatione. Sed tu clemens & misericors Deus, qui non vis perire opera tua, ad ostendendum diuitias bonitatis tuæ in vasa misericordiæ, etiam præter omne proprium meritum, dignaris consolari seruum tuum supra humanum modum. Tuæ enim consolationes, non sunt sicut humanæ confabulationes.

2 Quid egi Domine, ut mihi cōferres aliquam cælestem consolationem?

Ego

Ego nihil boni me egisse recolo, sed  
semper ad vitia primum, & ad emen-  
dationem pigrum fuisse. Verum est, &  
negare non possum. Si aliter dicerem,  
*Iob 9.*  
tu stares contra me, & non esset qui  
defenderet. Quid merui pro peccatis  
meis, nisi infernum, & ignem æter-  
num? In veritate confiteor, quoniam  
dignus sum omni ludibrio & contem-  
ptu, nec decet me inter tuos deuotos  
commemorari. Et licet hoc ægrè au-  
diam, tamen aduersum me, pro veri-  
tate, peccata mea arguam, ut facilius  
misericordiam tuā merear impetrare.

*s* Quid dicam reus, & omni confu-  
fione plenus? Non habeo os loquen-  
di, nisi hoc tantum verbum: Peccavi  
*Psal. 50*  
Domine, peccavi: miserere mei, ig-  
nosce mihi. Sine me paululum, vt  
*Iob 10.*  
plangam dolorem meum, antequam  
vadam ad terram tenebrosam, &  
opertam mortis caligine. Quid tam  
maximè à reo & misero peccatore re-  
quiris, nisi vt conteratur, & humiliet  
se pro delictis suis? In vera contritio-  
ne & cordis humiliatione, nascitur  
spes veniae, reconciliatur perturbata  
conscientia, reparatur gratia perdita,

K s tue-

tuetur homo à futura ira , & occur-  
runt sibi mutuò in osculo sancto,  
Deus & pœnitens anima.

**Ps.50.** 4 Humilis peccatorum contritio,  
acceptabile tibi est Domine sacrifi-  
cium , longè suauius odorans in con-  
spectu tuo , quām thuris incensum.

**Luce 7.** Hæc est gratum etiam vnguentum,  
quod sacris pedibus tuis infundi vo-

**Ps.50.** luisti : quia cor contritum & humilia-  
tum, numquā despexisti. Ibi est locus  
refugij , à facie iræ inimici. Ibi emen-  
datur & abluitur , quidquid aliunde  
contractum est & inquinatum.

### CAP. LIII.

*Quod gratia Dei, non miscetur ter-  
rena sapientibus.*

**F**ILI , pretiosa est gratia mea, non  
patitur se misceri extraneis re-  
bus , nec consolationibus terrenis.  
Abiicere ergo oportet omnia impedi-  
menta gratiæ , si optas eius infusio-  
nem suscipere. Pete secretum tibi,  
ama solus habitare tecum, nullius re-  
quire confabulationem : sed magis ad  
Deum deuotam effunde precem , ut  
compun-